



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXV. Quomodo auxerit rem familiare[m] Episcopij in temporalibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Quomodo auxerit rem familiarem Episcopij  
in temporalibus*

## CAPVT XXXV.

*Thomov.  
Vide vitam e-  
dit. à Can. lib. 1.  
cap. 37.*

*Castella Episco-  
patus Bamber-  
gensis per S. O-  
thonē adiecta.*

*Quomodo lau-  
dandus S. Otho  
ob rei familia-  
ris curam.  
\* subintellige:  
rem familiarem  
augere studuit.*

**R**Em quoque familiarem Episcopij, sicut prædiis & possessionibus, ita etiam ædificiis & Castrorum munitionibus adiuuit, atque sublimauit. Nam per diuersa loca, & curtes Episcopij quatuordecim Basilicas, & quatuor cœnacula elegantis fabricæ construxit. Præterea sex castella, quæ pridem non habuit, dominio Episcopatus adiecit; vnum videlicet, Albuinestein; secundum, Luipoldestein; tertium, Geutenreut; quartum, Hempfenvelt; quintum, Ebersperg; sextum, Eckenvelt, Castrum verò Albuinestein, quod etiam dicitur Bødenstein, fere in medietate situm Episcopatus, octingentis argenti libris, nec non decem & septem auri talentis comparauit, prouidens in hoc & sibi, & posteris non modicum pacis subsidium. quia, bonis Ecclesiæ in circuitu positæ, defensio est & terror inimicis.

Multa quidem commemorare possem, quæ illius studio, & labore in rebus temporalibus Episcopatu accesserunt; sed parcius hæc laudanda puto; quia pœnè omne genus hominū acquirendi studiosum est, & sua cumulandi: neque, ut id faciunt, egent exemplo, sed, ne malè id faciant. Hic ergò non in eo quidem magnoperè laudandus, quòd rem familiarem quaerere & augere sollicitus fuit; sed hoc in eo non temerè laudatur, quòd his rebus, \* à quibus abesset turpitudine & auaritiæ suspicio, diligentiam videlicet & frugali parimonia, quæ sanè hinc aduertipotest.



*Quan-*